

Vicidlegung der  
Pietiste Doctmuts  
Screulor  
Conur den Epicedij auf  
Bürgst Hermann Fracteur  
Ableben  
gezeigt werden sollen:  
Nebst noch 8. kleinen andren pieces.

AB

57084

Dubl. zw Zhl 1908 im Pm QK

Bl,

9

BONA NOVA  
IN  
MONTE ALBANO,  
UBI ALBIS CIRCUMFLUIT,  
PER  
VIRUM SUMME REVERENDUM  
**DOMINUM JOCHIUM,**

SS. Theologæ Doctorem, ejusdem Professorem,  
Pastoremque Fidelissimum,  
audita & brevi ante obitum descripta

JOHANNE WILHELMO PETERSENIO, D.

---

M DCC. XXVII.

Digitized by srujanika@gmail.com



## EPIGRAMMA.

**J**OCH nomen ferale malis, gens impia clamat!  
Vincula rumpamus, non ea ferre placet.  
Idem hic JOCH nomen dulce est, queis dulcia Christi  
Sunt juga, & hæc humeris imposuere suis.  
Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquefacit  
Igne eodemque uno, fax ea JOCHUS erit.  
Diversis diversus erit, culpatur, amatur,  
Illum odere mali, sed pius omnis amat.  
Dulce jugum Christi est, simul intolerabile, possunt  
Hoc tolerare boni, non tolerare mali

---

Psalms II. 3.

Ubi mali de bonis: Disrumpamus vincula eorum, &  
projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Sap. II. 15.

Justus gravis est nobis etiam aspici.

Matth. XI. 30.

Qui habet aures, audiat.

Quæ

**Q**uae nova lux oritur mediis enata tenebris?  
Miranda cerno ingentia,  
Mirabilem Catastophen!  
Si sol (ut memorant veri sancto ore prophetæ)  
Medie in diei tempore  
Suo recedet lumine:  
Æque mirandum est; si sol illuminat orbem  
Sub ipsa noctis tempora,  
Luxque ipsa torquet malos.  
In monte Albano, quo Viteberga notatur,  
Ubi Albis urbi allabitur,  
Miranda multa cernimus.  
Haec tenus horrendis squelebant cuncta tenebris,  
Caligo multa inhorruit,  
Et bubo vocem sustulit.  
Jam subito incepit DEUS almam spargere lucem,  
Pulcræque fulserunt faces,  
Perrupit alma veritas.  
Nam qui olim fidos coeli perstrinxit amicos,  
Sibique soli nupserat,  
Damnatus est hæretifex.  
LUTHERI cathedram qui conculcaverat auctor,  
Jam factus est inglorius  
Rixator is WERNSDORFFUS.  
Quam fœde ARNOLDUM depinxit toryus auctor,  
Heu! quot scatet calumniis,  
Et falsa multa effutiit.  
Additur huic socius, fidamque præbet opellam;  
SCHROEERUS ille pertinax,  
Quem Dresdena juste rejicit.

Substre-

Substrepitat peccus LOESCHERI alteque reuinugit;  
Clamoris est silentium,  
Et corde paltet anxi.  
O semper mater rixosa academia ad Albim!  
Quos dente non petis viros,  
TE semper illis præferens!  
Quos non hæreticos fecit CALOVIUS ille?  
Quos non vocat Babelicos?  
Hic zelo iniquo incanduit.  
Quos non aggressus NEUMANNUS ille Professor?  
Aggressus omnes, qui novum  
Sperant futurum seculum.  
Hujus cœca viri legit vestigia MEYER,  
Hammonis urbis fax tuba,  
Commune belli classicum.  
Hos sequitur demens furris armatus & armis  
Rostochiensis FECHTIUS,  
Cœlum SPENERO disputans.  
Nec satis hæc; ipse innocuus, pius ARNDIUS usque  
Suspensus illis redditur,  
Qui tot bonos lucratus est.  
Sed jam ingens facta est harum mutatio rerum,  
Latusque nudatum improbis  
Unicuique cernitur.  
Nec tulit hoc summum quod dirigit omnia Numen:  
Pellunt columbae vultures,  
Quisque & agnus subsilit.  
Sancta etenim bonitas dignum sibi legit Achillem,  
Virumque divinum in suos  
Immisit adversarios.

JOCH

JOCH nomen ferale malis; fortissimus heros,  
Sionis æternæ Joel,  
Invadit hostes masculus.  
Et velut AUSONIUS, fasces mutantur aratro,  
Quæ bobus ante ademerat  
Imponit hostibus juga.  
Sic juga, seque ipsum jam rixatoribus illis  
Magno repletus Numine  
Infligit, hosque supprimit.  
Contra SPENERUM se armavit sacra Facultas  
Totius ejus ordinis,  
Nec orthodoxum agnoverat.  
Respondit SPENERUS, & omnis natio sancta  
Victoriam sponderat,  
Pudore suffundens Viros.  
Nam Vitebergæ, tanta est fiducia mentis,  
SPENERUM apertis laudibus  
Vel hostium in præsentia,  
Theiologum laudat, nomenque illius ad astra  
JOCH tollit, & laudat virum  
Hallense fidus FRANCKIUM.  
Sic digne pugnatur, amat victoria testes,  
Hæc est bonorum nobilis  
Surgens sepulceris gloria.  
Huic alii fere associant, causamque tuentur,  
MARPERGER ille Vir DEI,  
Zelo sacrato præditus.  
Expectatus adest, qui Norica templo relinquens,  
Et evocanti paruit,  
Atque hostibus guttura premit.

Utque

Utque lutum pedibus sigulus concusat arena,  
Et frangitur vas fictile,  
Sic ille iniquos supprimit.  
Jam dudum quicunque pii oravere tonantem,  
Ut quos maligni objecerint,  
Mox judicentur servi:  
Hoc dudum optavit vicina Academia ad Ellum;  
Quæ foeda dicta & scommata  
Audivit a CALOVIO.  
Illud idem optavit, quæ semper floruit, Hala,  
Quam nunquam amasti invidi,  
Genusque sanctum carpit.  
Sic vestros sensit non raro Jena cachianos,  
MAJUSque Giessæ Phosphorus  
Ab ore vestro arroditur.  
Nec placuit vobis ALTORFI Norica sedes,  
TUBINGA nec acceptior,  
KILONIUMVE Holsatiæ.  
In cunctos patulo jacta est mala lingua palato,  
Atque alter estis Ismael,  
Qui bella amavit mutua.  
Aspicit hoc Prussus Rex immedicable vulnus,  
Superbiæque originem,  
Vetatque adire Saxones.  
Suecus hyperborea nuper commotus in aula  
Damnavit improbum modum,  
Quo sanctulos describitis.  
Indignum hoc facinus vestra ipsa Academia novit,  
Has Jure Consulti graves  
Odere rixas asperas.

Et

Et Medici Hippocrates qui vel legere Galenum,  
Rejiciunt dictaria,  
Quæ concione funditis.  
Ipsum adeo vulgus, qui non vis aspera cordi est,  
Salutis optat ferula,  
JOCHIque sentit spiritum.  
Exultans animo sancto dat jubila cœlo,  
Quod verba tam potentia  
E rostris late defluant.  
Quis negat exortam placido de sidere lucem?  
Audita vox est turturis,  
Ver floridum comparuit.  
Promittunt vicina pī bona tempora regni,  
Nox atra quamvis ingrat  
Magni Antichristi tempore;  
Attamen illustri remanet Victoria lucis  
Perrumpet alma veritas,  
Dies sequetur optima;  
Hæc duo ne dubites simul hic consistere posse:  
Caligo Memphis occupat,  
In Gosen lux intermicat.  
Vocem intende tuam, namque hoc potes optime CRELLI,  
Qui plenus alto spiritu  
Poëta natus desuper.  
Tu carmen sublime canas, celsoque cothurno  
Incedas totus Entheus,  
Te digna fac heroica.  
Solve DEO summas sinecero pectore grates,  
Quod JOCHIUM donaverit,  
Qui curva cuncta corrigit.

Tu



Tu vero, vir care DEO, fortissime JOCHI!  
Levato vocem, ceu tubam,  
Promissa surgunt tempora.  
Helvetiis duo Caſtones jam fortiter urgent,  
LUCERNA & illud SCHWIZIUM,  
Ter sancta volvi biblia.  
Ægypti serviſ ſolvi, MORAVIA cernit,  
Quos ZINZENDORFFIUS fovet,  
Ipsisque teſta conſtruit.  
Te quoque ſupremi legit ſibi dextera Miniftrum,  
Evangelista JOCH pie  
Impone ceteris jugum:  
Qui dicunt onus eſſe DEI, TU fortiter iſta,  
Si veritatem dixeris,  
TE veritas tuebitur.



57084

ULB Halle  
004 300 998

3



AB 57084

86.

428.





19  
69

BONA NOVA  
IN  
MONTE ALBANO,  
UBI ALBIS CIRCUMFLUIT,  
PER  
VIRUM SUMME REVERENDUM  
**DOMINUM JOCHIUM,**  
SS. Theologiae Doctorem, ejusdem Professorem,  
Pastoremque Fidelissimum,  
audita & brevi ante obitum descripta  
JOHANNE WILHELMO PETERSENIO, D.

M DCC XXVII,

